Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1033
Quelle:
Copyright:

emplum eſt praecedentium *Petri Bleſenſis Epiſtolarum*, et quidem uberius, nam Index praemiſſus C-LI. recenſet. Procedunt illae pulcre cum Editione ſupracit. usque ad Epiſt. 128. Dein Epiſtola nobis 29. *Canon Epiſcopalis* eſt, quem Editor *Guſſanvillanus* inter *Opuſcula* P. III. p. 447. repoſuit. Epiſtola nobis 130. eſt Edit. 143. Ab Ep. 131. redit concordia usque ad 136. quo loco nos *Inuectiuam in quendam qui ſua opera deprauabat*, habemus. Hanc Editor pariter inter *Opuſcula* ad p. 455. amandarat. Ab Epiſtola 137. rurſus coincidunt usque ad 143. quae nobis eſt Edit. 152. Ab Ep. nobis 144. conſpiratur usque ad 151. nobis ultimam, cui ſubjecit Librarius:

Finito libro ſit laus et gloria chriſto.

Anno &c. Nonageſimoquarto. Textum admodum paucis mendis laborare deprehendi.

CCCCXL.

R. 516 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 141. f. per duas columnas commode exaratus et rubricis diſtinctus continet *Petri Bleſenſis* Archidiac. *Bathonienſ.* a. 1200. vivis exemti *Epiſtolas* jam ſuperiore, et mox hoc *Vol.* a me relatas. Et praeſens quidem Codex caret Epiſtolis, quae ſunt Editionis *Guſſanvillanae Pariſ.* 1667. f. ordine 128—30. 134. 136. 142. 146. 152. 154. 155—83. cenſet vero inter Epiſtolas *n.* 84. *Formam relaxandi Interdictum*, quam hic adſcribo: *Eius exemplo qui curandis vulneribus oleum poſt vinum infudit, diſtrictionis uirga percuſſum recreare te volumus manna dulcedinis, ut qui uerbera patris in correctione ſenſiſti, uerbera matris in conſolatione deguſtes, et in utroque fias deuotior ex deuoto. Quocirca ſuſpenſionis ſententiam, quam in te de iuris rigore protulimus, ex benignitate gratie relaxamus, fraternitatem tuam monentes et obſecrantes in domino, quatenus talem te ſtudeas exhibere, ut de commiſſo tibi paſtoralitatis officio dignam deo poſſis reddere rationem.* Cenſet praeterea *n.* 85. *Inſtructionem Fidei* ab *Alexandro* III. ad Soldanum *Iconii* miſſam, et *n.* 152. Tractatum *de Inſtitutione Epiſcopi* a *Petro* miſſum *Johanni* Ep. *Wigorniensi*, quorum illam Editio *ſuprac.* p. 431. hunc p. 447. exhibet. Demum tria continet, quae ſingillatim indicari merentur, et quidem

Fol. 83. p. 2. *Monetur abbas relinquere abbatiam, ut epiſcopatum accipiat.* Inſcribitur *Epiſtola* 86. Neutiquam tamen *Bleſenſis* eſt, ſed *Innocentii* III. Pont. Max. Audi rationem. Incipit illa: *Nouariensis eccleſie neceſſitas nouum onus et a nobis imponi et a te ſuſcipi perſuadet, que paſtoris regimine deſtituta cum in quenquam de ſuis concordare nequiiſſet, in te demum vnanimi voce convenit ualde quidem et ad promouendum bonum ſui regi-*